ASTESANUS DE AST

Saalfelden/Salzburg, 1471-1472

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8377
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

VI

qui tamen possit in continentia vivere. Ex. de his qui vi metuve causa fiunt per totum. Extra de etate et qualitate c. Cum dilectus filius. Integritas enim est res voti non precepti xxxii q. i. Integritas. Hec Ray. ti. de etate. Ponatur ergo quod non teneat contrahere quia sunt tales metus quod potuit in constante virum cadere. Numquid utetur privilegio clericali. Respondeo secundum Ray. videtur quod sic si vult alias clericaliter vivere. arg. dis. xxxii. Diaconus. Verum. Et hoc verum esse creditur nisi penitus sit consensus ad coniugium adhibitus ut si duxerit viduam aut secundam uxorem. dis. xxxiv. Quisquis. vel dicendum aliter quod scilicet postquam legitimam uxorem habuit illa sine peccato potuit uti et ita intellige solutionem questionis precedentis. Si vero ipsa continere nollet et ipse vellet privilegium clericale non habet. Si autem aliter clericaliter viveret ut dictum est supra arg. xxvii q. ii. Multarum. Si vero legitimam uxorem non habebat precise continere tenetur arg. xxviii dis. de [illegible] hec Ray. ibidem secundum Ray. Prima solutio est potior et benignior et ideo tenenda.

Utrum caracter unius ordinis presupponat de necessitate caracterem alterius. Respondeo quod non est de necessitate superiorum ordinum quod aliquos ordines minores prius habeat quia sicut potestates distincte sunt et actus sunt distincti. Unde una non requirit aliam in eodem subiecto. Et ideo etiam in primitiva ecclesia aliqui ordinabantur in presbyteros qui prius ordines minores non susceperant et tamen poterant omnia que possunt inferiores. Quia inferior potestas virtute comprehenditur inferiori in superiori. Sicut sensus in intellectu et dignitas in regno. Est tamen de congruitate quod actibus potestatis et ordinis inferioris aliqualiter preordinatur et exercitetur ad actum superioris. Propter quod postea constituit ecclesia. Respondeo ad maiores ordines se ingerat qui prius in inferioribus officiis se humiliat. Et inde est quod qui per saltum ordinatur secundum canones non reordinatur sed illud quod obmissum fuit de precedentibus ordinibus ei conferetur. dis. lii. Sollicitudo. Et extra de clerico per saltum promoto. Tue litere. Tales autem scilicet qui per saltum ordinantur non tamen peccant sic ordinem contra statutum ecclesie suscipiens sed et executionem illius ordinis quem non habet. Dicunt tamen ex predicto c. tue habetur quod talis in ordine surrepto de misericordia ministrare permittitur et dicit de misericordia quia ad hoc dispensatio requiritur. Hec Rich. Tho. et Bon.

Utrum caracter ordinis presupponat de necessitate caracterem baptismi. Respondeo.